

perio. Hac ratione penè omnes urbes Sueviæ factæ sunt Imperiales. Sunt autem multæ viribus exiguæ: quare nonnullæ creaverunt sibi Defensores qui postea facti sunt domini.

LV.

Constat itaque, hodiè alias urbes citra controversiam Imperiales esse: aliàs in exercitio libertatis quidem esse, moveri tamen ipsis controversias à Principibus cum aliis tum & ab Episcopis. Porro nonnullas reapse sub aliorum dominio esse. Prioris itaque generis civitates (ut tandem quò volumus perveniamus) immediate sub Imperio constitutæ, ac jurisdictionem perpetuam & statum in Imperio nactæ, in suo districtu non minus ac Principes Duces vel Comites in suis Principatibus, Ducatibus & Comitibus, superioritatem, jura Principis ac Regalia habent, & genericâ Principis definitione continentur. Quod multorum testimoniis probat etiam Casp. Klock *de Contr. c. 5. n. 9.* Ideoque rectè de hisce liberis Germaniæ civitatibus scripsit Guicciardinus *l. 7. hist. c. 2.* recognoscere eas quidem certis & definitis pensionibus quibusdam auctoritatem Imperii, cæterum ipsas fermè moribus & magistratibus suis gubernari: neque tam studere territorio ampliando, quam libertati suæ conservandæ. Ac hodie nonnullas earum in tantum crevisse potentiam ut cum quibusdam Germaniæ Principibus contendere valeant, scribit autor *The-sauri polit. in relat. d. aula & Regno Imperatoris Romani.*

LVI.

His itaque præmissis, negamus Regalia, quorum supra mentionem fecimus ejus efficaciam esse ut propterea civitates in suo districtu Regalibus defraudari possint. Nam quod Jure Romano omnes civitates quamvis amplissimæ exceptâ Româ privatorum loco haberi dicuntur, illud de oppidis merè municipalibus & Imperio me-